



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Confirmatio Bonifacij Papae VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Confirmatio Bonifacij Papæ VIII.

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conuentui Monasterij S. Zenonis in *Hallis*, per Præpositum soliti gubernari, ordinis S. Augustini Saliburgensis Diocœsis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigat rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia vel alias indulgentias vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactio- num à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio prædicto indultas, sicut eas iuste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Lateran. V. Calend. Martij. Pontificatus nostri anno sexto.

Confirmatio Urbani Papæ VI. omnium nostrorum bonorum.

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conuentui Monasterij S. Zenonis extra muros oppidi *Reichenhallensis*, per Præpositum soliti gubernari, ordinis S. Augustini Saliburgensis Diocœsis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigat rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & monasterium de *Reichenhall* prædictum, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri protectione suscipimus atque nostra, omnesq; libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias indulgentias, vobis & monasterio vestro prædicto concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactio- num à Regibus & Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, V. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Protectio Monasterij S. Zenonis, per Ludouicum Ducem Buarie.

LUDOVICVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni & Dux Buarie &c. Iudici & vniuersis ciuibus in *Halle* gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus vestræ vniuersitati, quod nos Cœnobium sancti Zenonis apud *Halle* situm in nostram